



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Maximilianus Ep. M. 12. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Fuit cùm ad hortos Elysios avolans ea oculorum spectacula habuit auriumque illecebras, ut irasceretur illis, qui eum avocarunt. Ne igitur quisquam molestiam revocando faceret, morte illuc non redditurus abiit. Ex Surio.

*Quisquis es, qui divini luminis illustraris splendore,  
sentiq; ad contemptum mundi provehi, à Domino praestitum nolitibi spernere donum, noli obsurdescere aperire pulsanti. Surge ocyus, & te volenti erigere manum porrigere. S. Laur. Just. de Cont. mund. c. 19.*

## S. MAXIMILIANUS E P. M. 12. Octobris.

**M**A X I M I L I A N V M , quo civi Pannonia, Austria patrono gloriatur, parentes nobiles Celeiae genuerunt, lactarunt Gratiae, Musæ eduxerunt. Talis, inquam, MAXIMILIANVS dignus cælo visus est, quem in suas partes pertraheret; & verò facile ille obsecundans meliora suadenti, hereditate suâ (quæ opulenta ei erat) ultrò egenis cessit, divitem se ratus, si centuplo amplius liceret sperare. Jam honoris etiam umbram cùm fugeret, insecura tamen hæc virtutem, Laureaci mitrâ sibi devinxit, & in solium renuentem extulit. Hoc deinde cùm furiæ Decianæ deturbassent, Romam abiit; mox tamen Xysto II. Pont. Max. auctore rediit, & viginti ipsos annos munere suo cum summâ laude est functus. Sub hæc in mentem venit, patriis etiam terris operam suam locare. Et forte Evilius illic Prætor Christianam pietatem oppugnatum ibat. Tanto amplius festinandum sibi ratus illicò advolavit, & suppetias laborantibus in tempore tulit. Sed dum in primâ fronte acrius pugnat, inter primos gladio cadit. Post hanc tamen tam nobilem Hostiam propitia victoria semper post-

ea

Octob.  
orūm  
asce-  
quis-  
illuc  
dore,  
o pre-  
berire  
por-  
obris.  
13.Octob. VITÆ SANCTORVM. 501  
ea cum Christianis stetit. Diceret suum etiam  
Pannoniæ Decium obtigisse. Ex Bruschio.

Quid prodest quemlibet hodie auro, gemmis & pur-  
purâ contegi, si cras contingat eum nudum & reum ad  
inferni supplicia perirahi? Quid juvat, si quis hodie  
terram faciat sub pedibus suis tremere, & cras mēdicus  
& pauper de hoc mundo compellatur exire? S.P.Dam.  
l.7.ep.15.

S.COLMANNUS MART. 13.Octobris.

COLMANNVM Regii sanguinis juvenem &  
juventæ ævo suo facile principem genuit &  
educavit Scotia, hospitem Bojaria vidi & Au-  
stria. Habuit tamen hæc hostiliter potius quam  
hospitaliter. Etenim quod genus & virtutem, sub  
peregrino dissimulasset, jussisque valcre & patriâ  
& opibus patriæ, sacram Hierosolymæ urbem in  
votis haberet, diu jam dæmoni malo ægrè facie-  
bat. Hic igitur contrà xgrè COLMANNO facturus  
id machinatur, ut innocentia sub proditoris no-  
mine accusetur. Capitur, carceri datur, torquetur,  
uritur, laceratur, damnatur, & ex aridâ arbore ipse  
flos juventutis suspenditur. Hic demum pro inno-  
cente crebra miracula perorant. Et integritatem  
animi sesquianuum sub dio pendens integrum  
corpusculum loquitur. Meruisse canos crescentes  
capilli & unguis testantur; clamat sanguis è vul-  
nere numquam non recens. ipsa, quam emortuam  
diximus, arbor in frondes suas reviviscens non  
debuisse mori COLMANNVM ait. Tot testibus  
tandem convicta Austria veritatem sententiam, absol-  
vit COLMANNVM, & se damnavit. Sed & hic tor-  
honoribus pōst, quot suppliciis autē mactatus

Au-